

ecclesie sancte crucis et appropriacio facta quatuordecim iugerum sitorum prope Rosendal ¹⁾ cum decima tam maiore quam minore in Rithusen sanctimonialibus in Wulvinghusen, qui mansi et que decima fuerunt antea feudales et appropriacio facta quatuor mansorum cum una curia Wetsende ²⁾ sitorum ad dotacionem altaris sancti Michaelis in ecclesia sancti Andree.

Item ante predictum tempus per capitulum dimissa dimidia decima in Ummendorpe ³⁾ ecclesie sancti Petri in Brunswig, postea de pecunia inde habita alia bona comparata in recompensam.

Item appropriacio per episcopum et capitulum trium mansorum feudalium episcopi ad vicariam, quam magister Bernhardus de Tzuden fundavit, et trium aliorum feudalium decani. Et generaliter manumissi per eundem dominum Hinricum episcopum omnes lirones Alvelde ⁴⁾ tunc moram trahentes et per eum plures alie manumissiones lironum et diverse alie litere concessesse circa tempora suprascripta et capitulum sine auctoritate episcopi circa eadem tempora predictas et plures alias fecit manumissiones lironum prepositure et indubitanter alienaciones et inpignoraciones et obligaciones et concessiones ad vitam et alias multas bonorum prepositure et aliorum, de quibus et aliis per eos et per me actis in registro literarum super hoc confectarum perfectius continetur. De solempnitatibus autem observatis de iuris auctoritate in premissis et aliis, quibus interfui et consensi, observandis et precipue in actis per dominum tunc et quemlibet alium episcopum attento iuramento, quod episcopi, quibus providetur per sedem apostolicam, prestare de non alienando seu obligando sine licencia pape consueverunt, non est

-
- 1) Rosenthal.
 2) ??
 3) Ummendorf.
 4) Alfeld.